

1726.

1. Albinus, James Henricus: De eo, quod iudici competit
ex officio secundum ordinationem processus Saxonicus
recognitum.
2. Bestineller, Geth. Christ. Cod. iuridici . . . De caenis:
lectori benevole s. p. d. (et Disputationem Georgii
Friedrici Beyeri iussit)
Bestineller, G.
3. ~~Dieckmann~~, Geth. Christianus: De poenitentia in
Scleris ejusque effecta.
4. ~~Dieckmann~~, Vitis Grollius: De imperio peregrinorum
4b ~~Dieckmann~~ F. J. in Saxonia
5. Fehlingus, James Fridericus: Publicum in sermone vete-
ris exemplo Latini declaratum.
6. Hanaccius, Christianus: De Saxonicis juris ad artum
revocandi ratione omnes jura docendi publicum
extra ordinem ab Augustissimo rege . . . in acad.
Hilensb. sibi delatum . . . et instituto exponit.



1726.

7. Hansen, Martinus: De peccato silentii
8. Hansen, Martinus: Dissertationem moralem, qua rationes exponuntur cur Franciscus I Galliarum rex ab iurjurando Caroli V. Imperatori haud verum tam perjurum censeri debeat, & examini submittatur.
9. Holmannus, Samuel Christianus: De jure consequentiarum
- 10^o = Kemmerichius, Dieder. Hermann: De secretariis portuotariis et actuariis judiciatibus. 2 Tomi.
11. Kemmerichius, Dieder. Hermann: De jure de non evocando Electorum principum et statuum temp^{or} ~~aliarum~~ aliorumque immediatarum et mediatarum.
12. Kraunius, Fr. Gotthardus: De liberis ex matrimonio inter spurium stupratumque ab alio, invito, natis.
13. Kraunius, Fr. Gotthardus: De interpellatione proscriptiois
14. Kraunius, Fr. Gotthardus: Specimen prudentiae &

donis a pupillis accipiendis est soluta Jæ.

15. Luescher, Mart. Gottschell. De juriis circa ~~the~~ abortum
conserlatum ferendi.
16. Luescher, Mart. Gottschell: De sensationibus Prætorum
imperfectis
17. Luescher, Mart. Gottschell: De intellectu impuro
18. Luescher, Mart. Gottschell: De natura sensuum exteriorum
hominis
19. Mejer, Henr. Gerhardt: De intellectu impuro.
20. Menden, Godsp. Ludovici, Ord. jur. . . Decana: Lectori
honorato s. p. d. (ad Disputationem solemnem Caroli
Ludovici Sautii inserta.)
21. Menden, Godsp. Ludovici, Ord. jur. . . Decana:
Lectori honorato s. p. d. (ad Disputationem Jo-
hanni Frederici Clement inserta.)
22. Menden, Godsp. Ludovici: De citatione principis com-
munitatis immediata.
23. Puchringius, Joannes Christophorus: Dissertalioem
. . . qua rationes conferantur cum Francisco I
Gotticorum rex & jusjuramentum Carolo V. Imp. hanc
servatum perjurum censeri non debeat? submittit



24. Spener, Jac. Carolus: De vera origine comitum
Palatinorum Caesareum seu comitum I. Palatis
Liberanensis dissertatio abque . . . eius festis
et solenniis honorum phitropficorum . . .
notandorum . . . iussu Fax

25. Spener, Jac. Carolus: De imperio peregrinorum prin-
cipum maxime in Germania

26. Stenzelius, Christ. Gottfr: De philis rite examinandi
et diffinendis. Von Liches-Träncker

27. Vater, Christianum: De partitione colidii et iGacis

28. Wucher, Dr. Ballhorn: Dissertation in rebus iuridicis,
qua sententiam de obligatione ex parte sponsa-
litii, quod vulgo Fa. Wort ~~et~~ vocatur . . . adversus
non obiectivum defendit.

29. Wucher, Franc. Ferdinand: De praesidiis infirmitatem
in specie

2. D. B. V.
DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICO-FORENSIS
DE

IVDICIO

CIRCA
ABORTVM CONCITATVM
FERENDO

QVAM
PRAESIDE

D. MART. GOTTHELFF
LOESCHERO

PHYS. PROF. PVBL. ORD. MED. EXTRAORD.
EIVSDEMQUE FACVLT. ASSESS. NEC NON SEREN.
DVC. SAXO-VINAR. PHYS. PROVINC.

PRO LICENTIA

SVMOS HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORIS
MORE MAIORVM RITE CONSEQVENDI

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

M. CHRISTIAN. FRIDER. BOCKIVS

STOLLBERGA - MISNICVS

A. D. I. SEPTEMBR. A. O. R. c1o1o ccxxvi.

IN AVDITORIO MAIORI

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS.

WITTENBERGAE LITERIS VIDVAE GERDESIAE.



DISSERTATIO INVALENTIIS MEDICO-TORONENSIS

IVDICIO

CIRCA

ABORTIVVM CONCITATVM
FERENDO

D. MART. GOTTHALF
LÖBSCHEIRO

PHYS. PROF. PUBL. ORD. MED. EXTRAORD.
FACULT. ASS. REG. NON SELEN.
HUNGAR. VINC. PHYS. PROVIN.

PRO LICENTIA

EXAMINIS HONORIS ET PRIVILEGIUM DOCTORIS
MORBIALIORVM RITE CONSERVANDI

M. CHRISTIAN. ERIDEM. BOGIVS

STOLLINGA - VINCEN.
A. D. 1811
HON. ANTI. IN POS. MEDIC. CONS. ENI.
VINCEN. PHYS. PROVIN. GERMANIAE



V I R O

EXPERIENTISSIMO AMPLISSIMO
EXCELLENTISSIMOQVE

PRAESIDI

HVIVS DISSERTATIONIS GRAVISSIMO

D. MART. GOTTHELFF
LOESCHERO

PHYSICES PROFESSORI PVBLICO
ORDINARIO MEDICINAE EXTRA ORDINEM CE-
LEBERRIMO EIVSDEMQUE FACVLTATIS ASSESSORI
MERITISSIMO ITEMQVE SERENISS. DVCIS SAXO-
VINARIENSIS PHYSICO PROVINCIALI
SPECTATISSIMO

PATRONO FAVTORI

STVDIORVMQVE SVORVM

AMPLIFICATORI

HOSPITI SVO AD VRNAM VSQVE
OMNI PIETATIS CVLTV SVSPICIENDO



OB SINGVLAREM PRORSVS IN SE BENEVOLI ANIMI
PROPENSIONEM INSTITVTIONEMQVE

FIDELISSIMAM

DISSERTATIONEM HANCCE INAUGVRALEM
IN GRATISSIMAE MEMORIAE DOCUMENTVM

CVM PIO PERPETVAE PROSPERITATIS VOTO

EA QVA DECET

ANIMI OBSERVANTISSIMI DEMISSIONE

SACRAM ESSE CVPIT

AVCTOR.



DE
IVDICIO
CIRCA
ABORTVM CONCITATVM
FERENDO
DISSERTATIO INAUGVRALIS.

I.



s propemodum ardua & difficili-
lis omnino esse uidetur, de re-
bus grauibus, iisdemque maxi-
me intricatis, accuratum ferre
iudicium, & ita quidem, ut si-
mul praeoccupatas opiniones
animis hominum euellat atque
extirpet, simulque iisdem sanam, sobriam ratione-
que suffultam rerum cognitionem, instillet. Enim-
uero,

A 3



uero, quemadmodum medicinae campus quam latissime patet, in eodemque, uaria & diuersa sententiarum diuortia, deprehenduntur, quarum quaelibet sua quasi luce radiare uidetur: ita onus Aetna grauius esse, arbitror, ex iisdem optimam seligere, selectam nouis rationum argumentis roborare & firmare, firmatam denique, aduersus dissentientium dubia, defendere, defensam, sano & sobrio iudicio demum accommodare, accommodatamque, ratione & experientiae usu, dare comprobatam. Vt enim nihil magis Medicum, quam ratio atque experientia decet, quae & ipsum mirum in modum perficiunt, aptum idoneumque reddunt, de rebus minus claris atque euidenribus sanum sobriumque iudicium ferendi: sic pergrauae & maxime arduum esse opinor, de hac materia, quam nunc aequis rerum censuris uentilandam examinandamque, speciminis loco, propono, sanum ferre iudicium. Cum igitur tot tantaeque, uirorum praestantissimorum, opiniones admodum uariant, **de Abortus Concitatione**, nemo mihi uitio uertet, si sanam eandemque ratione & experientia nixam sententiam arripiam, e contrario falsam erroneamque reiiciam iuxta atque improbem. **Summum Numen**, quod supplex ueneror, conatibus meis adsit, hosque ita dirigat, ut in sui ipsius, tanquam artis medicae statoris, gloriam, mortaliumque emolumentum cedant quam felicissime!

II.

Per Abortum intelligo *foetus immaturi*, siue uiui, siue ad crassio rem sensum non uiui, variaue tandem ratione mortui, *ex utero emissionem*, uel fortuito factam uel arte atque ui, licito aut illicito modo procuratam, de qua posteriori praesertim mihi in hac Dissertatione erit dicendi locus. Cum autem, ui atque arte, licito etiam modo, abortum procurari posse, dixerim, paradoxus forsán quibusdám uideri potero, quapropter, quae mens mea, paulo prolixius asserre non incongruum erit. Distinguendum itaque inter abortus prouocationem friuolam, hunc in finem susceptam, ut pudicitiae uirginum, quam semper ex impraegnatione & subsequenti partu periclitari constat, occurratur, aut alia ratione in femellis minus castis ac religiosis, nimium delicatis, dolores partus metuentibus numerosamque prolem odio habentibus, in foetus damnum tale quid committatur, id quod nefarium a) nulloque modo licitum, quin potius homicidiis accenseatur atque ita puniatur; & inter prouocationem abortus salubrem, ea de causa susceptam, ut mater grauida, cui fluor uteri cruentus atque immoderatio,

a) Vnde OVIDIUS *Lib. II. Amor. Eleg. XIV.* in amicam, quod abortiuum ipsa fecerit, inter alia eleganter:

*Quae prima instituit teneros conuelleré fatus,
Militia fueras digna perire sua.*

Item: *Si mos antiquis placuisset matribus idem:
Gens hominum uitio deperitura fuit.*

P. P. *Tu quoque cum posses nasci formosa perisses:
Tentasset, quod tu, si tua mater, opus. &c.*

deratior, mediis uel ultimis praecipue mensibus, a uulneratione seu auulsione secundinarum ortum trahens, aequae ac foetui exitium minatur, aut sola, aut forsitan una cum foetu, qui ad minimum S. Baptismate frui potest, in uita feruetur. b) Ad quam etiam foetus immaturi prorsus demortui expulsio pertinet, utpote quae cum proxime dicta non solum concessa, sed etiam quandoque summe necessaria.

III.

Veterum quidam adhuc aliam, eamque licitam, abortus concitationem sibi finxerunt atque excogitarunt, dicendo: Omnino licere, mulieri utero gerenti et propter foetum in uitae discrimen adductae, salutis impetrandae causa, abortum excitare. a) At enim uero hoc impium et nequiquam licitum, sed iure nefas habetur, siquidem nihil mali committendum, ut aliquid boni inde eueniat. Addo, quod impossibile sit, hunc scopum attingere, quandoquidem 1) Abortus *per se* periculosissimus, 2) eo magis *conciatus*, 3) praesertim *in grauida debili et aegrotante*. Atque hac ratione non nisi exitio foret praegnanti, ut taceam eiusdem concitationem multum difficultatis habere, et non tam facilem et tutam esse, ut uulgus quidem censet.

IV.

b) Vid. BOHNIUS *Diff. de Abortu salubri*.

a) Vid. D. D. ALBERTI *Systemate Jurisprud. Medicae p. 1. p. 131. et seq.* ubi ex Seldenio J. N. et G. addit, *eadem de causa Hebraeis in more positum fuisse, foetum in utero interficere. it. WOLFFG. HOEFERUS, Hercul. Medico p. 394. et seq.*

IV.

Tempus quod attinet Abortus fortuito contingentis, frequentissime, primis a conceptione XL diebus, et circa mensem tertium uel quartum, fieri solet. a) Vbi obiter annotandum, perpetuum non esse HIPPOCRATIS effatum, b) quando dicit: *abortum primis XL diebus contingere*, item c) *masculorum abortum ante XXX diem fieri*, cum inter omnes omnino constet Medicos, abortum tam masculorum, quam femellarum, his etiam praeterlapsis, fortuito fieri posse. Quae cum ita sint, multo magis abortus quolibet gestationis tempore ui atque arte illicite procurari poterit, ideoque tempus hoc, respectu possibilitatis, a primo conceptionis momento, usque ad noni mensis finem, tanquam ad iustam pariendi periodum, erit extendendum. Nec est, quod dicas, primis gestationis diebus, imo mensibus, aut nihil aut parum de futuro homine conspicuum esse, quapropter uix eiusmodi exclusio abortus uerus dici, d) multo minus autem hoc tempore de concitato poena ordinaria, siue summum supplicium sumi queat. Satis habeo, semel in utero conceptum esse hominem, sit paruulus, aut minimus, ideoque procul du-

B bio

a) SYLVIUS Op. Med. Lib. III. Cap. IV. p. 530.

b) Libro de partu septimestro.

c) Libro de natura pueri.

d) SYLVIUS l. c. eandem sententiam amplectitur et potius tale excrementum pro mola l. suppresso mensium fluxu habet, quod absurdum. Prostant Exempla Abortus ueri unius mensis apud FERD. EPIPHAN. Hist. Med. 50. et HIERON. MERCURIAL. Med. Consultat. Tom. I. Confil. 57.

bio per eius praematuram concitationem homicidium committitur. Eleganter sane TERTULLIANVS e) dixit: *Etiam conceptum tantum utero, dum adhuc sanguis in hominem delibatur, dissoluere non licet. Homicidii festinatio est, prohibere non nasci, nec refert natam quis eripiat animam, aut nascentem disturbet. Homo est, qui futurus est.* Atque ea de caussa abortus uocabulum cum quibusdam ueteribus, ratione temporis quo contingebat, mutare nolui, siquidem illi effluxionem intra VII. dies, abortum postea, abortum autem prope tempus pariendi fieri dicebant, cum fere nullum habeat usum et hodie quoque non amplius obseruetur.

V.

Eiusdem farinae est distinctio inter foetum animatum et inanimatum, a priscorum temporum Medicis et Philosophis inuenta, e qua postmodum non uno modo sanae rationi contraria sunt enata, ita ut etiam Ictus Menochius a) inter foetum et hominem absurde distinxerit, quasi prior non sit homo. Crediderunt nimirum ueteres, animam rationalem embryoni non statim in principio communicari, quapropter nonnulli die a conceptione 3. 7. alii 10. 30. 40. et sic porro, animam istam infundi statuerunt. b) Hinc Icti, cum aliquid certi requiratur, terminum animationis

(c) Apologetico, C. 9.

(a) De Arbitr. Judic. quaest. l. 2. Cent. 4. Cas. 356. n. 7.

(b) Vid. D. D. ALBERTI l. c. p. 1. p. 122, ubi huius sententiae diuersi Auctores citantur.

tionis in medio gestationis tempore posuerunt, utpote quo foetus motu, se uiuere, manifestat, c) unde factum, quod poena concitationis abortus etiam in ordinariam, et extraordinariam, diuisa fuerit; uti uidere est in C.C.C. d) cui sententiae quoque CARPZOVIVS e) subscripsit, quem deinde plurimi sunt secuti. Cum autem hodie per parentes animam propagari inter Euangelico-Lutheranos receptum sit, nec, salua religione et sana ratione, aliud dicere liceat, sequitur, foetum a primo conceptionis momento animatum esse. f) Ea de causa distinctio haec apud Medicos esse definit atque euanescit, quibus etiam quidam Icti, eorundem rationibus moti, adstipulantur. g)

B 2

VI.

- (c) TEICHMEYERVS Instit. Med. leg. Cap. VIII. Qu. I.
- (d) in uerbis: *Qui uirtute cibi aut portionis mulieri grauidae partum uitalem abegerit, tum, si dolo malo id factum fuerit, uir tanquam homicida gladio, mulier uero suffocatione in aquis puniatur: Quodsi uero foetus ab actus nondum fuerit uitalis, Iudices consilium a Iurisperitis petant.*
- (e) CARPZOVIVS Prax. Crim. P. I. Qu. XI.
- (f) Conf. ALBERTI, l. c. p. 1. c. 6. LUDOU. HANSEN, Diss. inaug. de termino animationis foetus humani. conscripta & sub prioris praesidio hab. 1724. ubi fufius de hisce omnibus actum est. Scripsit quoque modo dictus D. PRAESES Diss. de abortus noxia & nefanda promotione, in qua, ut Hanfen ait, demonstrauerit, cur distinctio poenarum tollenda; ego tamen illam, adhibito quamuis studio, adipisci non ualui.
- (g) BRUNNEMANNUS Proceff. Inquis. c. 9. quoad animationem & poenam nostrae est sententiae. STRYCKIUS V. mod. ff. L. 47. animationem concedit in ipsa conceptione fieri, de poena autem abortus conc. aliter iudicat.

VI.

Progredior ad abortus causas, ubi in *fortuito*, h. e. citra omnem expectationem atque opinionem ex accidenti contingente, potiores sunt sequentes, ut: Plethora, febris acuta, a) haemorrhagia enormis, tussis, conuulsio, b) diarrhoea, dysenteria, alui constipatio, calculi grandiores, c) uermes, d) etc. Porro aetas iuuenilis, abortus praegressi, uteri nimia angustia, e) praua conformatio, foetus grandior et laxius adhaerens, languens, monstrosus, et, ut *Excell.* Dn. PRAESES in praxi sua annotauit, funiculo umbilicali longiori et eundem quasi strangulante gaudens, f) uerbo, ad abortum dispositio. Similiter aer aestiuus, frigidus, uel halitibus foetidis impraegnatus, animi pathemata, iniuriae externae, cetera. Ex dictis patet causarum multitudo, unde, si matrem, uterum, foetum, alia, quandoque in uitio esse deprehendimus, de eiusdem frequentia non dubitandum, quin potius censendum, si non plures, quam partus naturales in republica fieri, g) tamen perpaucas esse matres nunquam passas abortum.

VII.

- (a) HIPPOCR. *V. A.* 35.
 (b) M. B. VAL, *Prax. Inf. Sect. III. C. 16.* p. 305.
 (c) HILDANUS *Obs. Cent. 6. Obs. 62.*
 (d) *Act. Erud. L. Dec. III. T. V. Suppl.*
 (e) Vid. D. F. W. CLAUDER. *A. N. C. D. II. A. VII. Obs. 184.* p. 348.
 (f) Id quod etiam HILDANUS l. c. p. 5. confirmat.
 (g) LUD. MERCAT. *L. de mulierum affect. Lib. IV. Cap. II. p. 497.*
Abortiuat, inquit, quidem adeo frequenter mulieres, ut si quis id diligenter examinet, facile inueniat, plures esse ueri deperditiones seu abortus, quam legitimos partus.
 Alii plusquam tertiam hominum uiuentium partem superari numero ab abortiuis infantibus credunt. uid. D. D. ERNDELIUS *L. de itin. suo Angl. & Batau.* p. 84.

VII.

Huic fortuito contradistinguitur abortus concitatus, qui, ut in definitione dixi, arte atque ui procuratur. Diuiditur autem haec concitatio ratione intentionis in directam et indirectam. Directe abortum concitare, est proposita sibi hac intentione uarij generis media in usum trahere, ut ea impetretur. Id quod fieri potest per *pharmaceutica*, *diaetetica* et tandem *chirurgica*. u. g. medicamenta assumendo, diaetae errores committendo, chirurgicas operationes instituendo, omnia sine alia ratione & intentione. Indirecte abortum concitare est praeter intentionem atque animi uoluntatem illud ipsum facere. Peragitur quoque fere iisdem mediis, e. g. medicamenta grauidae aegrotanti congrua quidem, sed simul ita comparata, ut foetui noxia sint, praebendo, uti sunt *zalia* in lue *zrea*, euacuantia in febribus, item operationes uarias, grauidis in hoc uel illo morbo ad sanitatem restituendam summe necessarias, administrando, u. g. Venae sectio largior in pleuritide aliisque. Vel matris conditio talis est, ut non possit, quin in diaeta grauiter peccet, uti, itineribus incongruis, eleuatione et gestatione ponderum, uel alius molis, quod tanto facilius fieri poterit, quando de ingrauidatione facta uel dubiae aut prorsus nesciae sunt femellae.

VIII.

Vt autem eo melius firmissusque iudicium de abortu concitato ferri queat, operae pretium fore existimo,

mo, in mediorum generaliter tantum supra descriptorum speciale nomen, uim ac ualorem inquirere. Videamus igitur e fonte primario medicamenta, quae talem ac tantum effectum in foetu expellendo possidere, ab auctoribus Medicis dicuntur. Sunt uero in genere omnia tum simplicia, tum composita, emmenagoga et fortius euacuantia. Ne autem taedium auribus delicatis creem, et iusto prolixior, dissertationis limites transgrediendo, esse uidear, praecipua et quidem simplicia, specifica quasi credita, in medium afferre placeat. Quibus secundum uires breuiter descriptis, facile erit de aliis effectum his paribus uel minoribus, item de praeparatis, uariisque compositis hinc resultantibus, ratione et experientiae usu innixam sententiam pronuntiare. Primas igitur ex scriptorum mente teneat *Sabina*, deinde ponderandum sit *Succinum*, postea aestumanda ueniat *Borax natua*, tum examinandae sint *Baccae Lauri*, denique *Baccae Iuniperi*, tandem *Crocus*, postremo *Myrrhae*, quibus ad extremum iungi possit et debeat *Artemisia* et *Ruta*, cetera. Gaudet haec omnia ui quadam aperiendi, incidendi, attenuandi et resoluedi, ideoque potentissima existunt emmenagoga, et a meretricibus, aliisque peruersae indolis mulieribus, toto die ad procurandum abortum adhibentur, et his similibus uario modo assumuntur, aut externe in pediluiis, balneis, uel in pessi clysterisue uterini forma in usum trahuntur, uti id fere omnes herbarum et materiae medicae scriptores testantur. De euacuantibus, uix opus esse arbitror, ut specialius dicam, siquidem rei cardo quam maxime in earum dosi uertitur. Dosis enim si excessiua, praesertim in fortius euacuandi stimu-

stimulo praeditis, agant uel per inferiora uel superiora, uel utroque in loco simul, quod alias Medicis dicitur Hypercatharsis, omnino intestinum rectum stimulan- do, aut uentriculum cum adhaerente alimentorum canali, moleste nimis confringendo, atque hac ratio- ne peristalticum motum inuertendo, totumque cor- pus concutiendo, uim inferre poterunt utero, ut ta- ceam, horum repetitionem multo magis esse no- xiam.

IX.

E fonte diaetetico uariis iniuriis externis foe- tus in gremio suo haerentis quaerunt prostibula ui- tam, e quorum numero usitata et potiora tan- tum recensero. Inculpanda igitur est in genere omnis nimia abdominis ligatura, in specie uero ista thoracis restrictio, quae cum peculiari instrumen- to ex chalybe, ligno, uel alia quadam materia con- fecto, galls Planchette et latinis Planchetta dicto, germ. *Sin Blanc*; *Scheid* / quod ad infimum usque uentrem interdum pertingit, aliasque femellis, ad corporis gracilitatem ac rectitudinem conciliandam, non leue habetur adminiculum, utpote mediante quo uasa sanguifera in foetu ualde coarctantur, consequen- ter uero illi non solum nutrimentum debitum subtra- hitur, uerum etiam ulterior augmentatio impeditur; unde foetus suffocatio, destructio, facile sequatur a).

Porro

a) Conf. GALENUS L. III. de Nat. Fac. c. XIII.
MICH. BERNH. VAL. Corp. Jur. Med. Leg. ff. P. 1. S. 1. Casu
XXII. p. 26.
DOLÆUS Encyclop. L. V. p. 920.

Porro omnis uehementior corporis motus, saltatio impetuofior, proiectio in terra, quale confilium grauidae cuidam pſaltriae dediffe, ferunt, Hippocratē, equitatio nimis uelox, agitatio in curru, lectica etc. uiolenta, concuffio, ponderis ſubleuatio et geſtatio, brachiorum extenſio ſurſum, cetera. Cum hac ratione foetus uario modo alteretur, placentae auulſio promoueatur, quid? quod interdum uafa umbilicalia diſrumpantur, ubi ſanguis poſtmodum cum impetu proſiliens abortio- nis prodromus. b) Praeterea a cibo et potu abſtinentia, quae quidem ut plurimum ad tempus tantum perduret, nihilo autem ſecius eo maius periculum, foetui alimentum denegando inferre ualet, quo diutius pertrahatur. E contrario quoque illorum nimia iniurgitatio, praefertim potus, generoſioris, inebriantis. Qua de cauſſa etiam, ut DOLA EVS, l. c. arbitrat, Angelus, c) uxorem Manoah admonuerit: *Ecce, inquit, nunc ſterilis es, ut quae nondum pepereris, ſed conceptura*

es

ACTA MED. BEROL. *Decad. I. Vol. IV.* ubi exempla hac ratione promoti abortus add.

ALBERTI, l. c. P. I. *Cap. VI. p. 129.* ibidem ex Montano in Beſchreibung der Jappaniſchen Geſandſchaft dicit, quod feminae Inſulae Formolae foetum eodem crudeli modo perdant, quoniam ſibi probro ducant, ante ann. 37. aet. grauidas eſſe.

b) Vid. LUD. MERCAT. l. c. *Lib. III. Cap. XXI. p. 461.* WEL- SCHIUS im *Seb. Ammen Buche, Cap. 59. p. 201.* Id. p. 376. perhibet: Die Römer haben durch ein Geſetz verboten, daß die ſchwangern Weiber nicht auf Kutſchen fahren ſollen, Quod tamen hodie in noſtris carpentis libenter concedimus. M. B. VAL. l. c. p. 1. *ſect. II. Caſ. 18. 19. 20. 21.* HILD. *Obſ. Med. Chir. p. 4.*

c) *Lib. Judic. Cap. 13.*

es et paritura filium. Iam ergo caue nunc et ne bibito uinum aut potum inebriantem: neque comedito quicquam immandi. Quod tamen aliis iudicandum relinquo. Hoc affirmare placet, spirituosa saepius et largius assumta, sanguinem fundendo, fibras partium arrodendo, exsiccando, et sic tonum uteri quoque labefactando, aliaque ratione abortum producere posse. d) Denique etiam commotiones animi uehementiores, imprimis uero terror, affectus omnium affectuum efficacissimus, e) timor atque ira, utpote quae sanguinis circulum pariter ac liquidi neruei motum grauissime consternunt, unde morbi et symptomata uarii generis, lypothymia, conuulsio, paralysis, apoplexia; sic in grauidis facili negotio abortus; f) quandoque mors. g)

X.

E chirurgico fonte nunc accusanda uenit VSio, quae apud ueteres iam pro potentissimo atque infallibili abortum excitandi, habita fuit, auxilio. Qua de re HIPPOCR. motus, aphorismum satis tritum posuit: *Mulieri, inquit, ingrauidatae si uena tundatur, abortit: eo-*
C*que*

- d) Conf. D. SCHURIGIUS. elegantiff. Lib. de *Spermasologia* p. 299.
 e) THOMAS FIENUS Lib. de *Virib. Imag. qu. 18.* WEDEL. *Exercit. Path. Therap.* p. 71. D. JOH. a MURALTO, *A. N. C. D. II. Ao. I. Obseru.* 100.
 f) M. B. VAL. *l. c. cas. 17.* HILDAN. *l. c. C. 4. Obs. p. 7. & p. 9*
 g) Sic de praegnanate Tullia, Ciceronis filia, repudium & nuncium a Dolabella marito, accepta, confestim prae nimio terrore & animi perturbatione, mortem praematuram sibi accelerasse, perhibent Scriptores.

que magis, si foetus grandior. 5. A. 30. Hodie, cum non tam larga celebretur, repetita imo duplicata, praesertim saphaenae incisio mirandum in modum decantatur, quo etiam factum est, quod uirgines bonae indolis, praescribente quamuis Medico et dictitante, uix ac ne uix quidem dictae uenae apertionem admittant. Qui uero fiat, aiunt, foetum teneriorem, matre in VSione sensibilibiter alterata, procul dubio quoque alterari, grandiore uero ob alimenti defectum facilius corrumpi. a) Scarificationem gestantibus noxiam esse censet WELSchIVS, quando ita pronuntiare non erubescit: *Vor allen Dingen aber soll ein schwanger Weib sich vor Schröpfen hüten / weil die Köpffe gar zu stark anziehen und leichtlich eine unzeitige Geburth zuverursachen pflegen.* b) Addere hic liceat operationem quandam chirurgicam, quam in Gallia ortum suum traxisse, aut ad minimum ibi renouatam fuisse, ferunt. Sumunt nimirum instrumentum quoddam abominandum, ad instar acus, qua cataractam deponere solent, sed paulo longius, illud per datam portam, ad os uteri usque, perducunt, tunc autem uteri orificium quoque penetrare et ita foetum in domicilio suo, unico eodemque ictu execrabili perforare student, atque hac ratione abortum producant. Nec est, quod de possibilitate huius operationis dubites, siquidem D. D. ERNDELIVS, l. c. apud *Guidon. Patinum*, Philosophum & Medicum, in literis suis, gallico idiomate conscriptis, *Epist. CXCI. et seqq. Tom. I. ad Dn. Falconet, A. 1660. d. 27. Julii*

a) Vid. LUD. MERC. l. c. p. 472.

b) Vid. l. c. p. 391.

Julii et seqq. scripta, *Edit. Paris. 1692.* legisse testatur, quod eo tempore Obstetrix suspendio publice punita fuerit, quae perforato feminae cuiusdam grauidae, per idoneum instrumentum, utero, foetum enecauerit, abortum procuratura, ast successu tam infelici, ut correpta conuulsionibus mater miserrime exspirauerit. Haec coram criminali Iudicio in confessione facta, pluribus feminis hoc modo interdum satis feliciter abortum effecisse. Addit, quod Dn. *Patinus* ex *Tertulliano* locum alleget, quo iugulandi in utero foetum iam ante plura secula notum fuisse probet: legatur locus iste in libro de *Anima*, cap. 25. edit. *Rigaltii. ann. 1641. pag. 328.* hisce fere uerbis: *Est etiam aeneum spiculum, quo iugulatio ipsa dirigitur coeco latrocinio: ΕμβρυοςΦακτιον appellant, utique uiuentis infantis peremptorium.* Dicta haecenus firmat, simulque hanc puncturam etiam in nostris regionibus, apud illas, quae clandestino modo *Veneris* festis interfuerunt, usuaem esse probat *Observatio B. Brendelii*, c) *Anatomici* quondam hic *Vitembergae* celeberrimi, cuius cultro ancilla quaedam aliquando subiecta fuit, quae sibi stylo quodam acuto, ferreo et praelongo, eadem methodo antea abortum procurauit.

XI.

Ad extremum multi multa gloriantur atque ostentant media, quibus abortus concitari possit, inter quae potissimum numerant serpentes, imprimisque serpen-

C 2

tem

e) Vid. EPHEM. GERM. Cent. III. ac IV. Obs. 167.



tem Galeno *Anissenam* dictam, quodsi quaedam gra-
uida illos transferit, exinde abortum accelerare: mul-
ta praeterea perhibent de Nucis Vomicae, Amygdala-
rum amararum, et Adhatodae Ceylonensium esu et
usu, itemque de aetite aliisque lapidibus, ab extremis
terrae oris accersitis, uel qua nomen ipsum horridis et
terrorem fere iniicientibus, foetuique, femori graui-
dae alligatis, maximum damnum minantibus: deni-
que, fascinationem, quam etiam inter media referunt,
ad eundem effectum, multum conferre, opinantur.

XII.

Haecenus uidimus, quid scilicet abortus sit, quo
modo diuidatur, atque ex aliorum quoque mente re-
censuimus, quibus modis mediisue concitetur, quaeue
licita habenda, quaeque inter illicita et prohibita ac
spuria referenda sint; quoniam uero ex auctorum ha-
ecenus recensitorum sententia multa dubia, erronea,
falsa et suspecta sese produnt, quaeque ipsi sanae ratio-
ni contraria esse arbitramur: hinc nostra utique refert,
ut paulo accuratius rem inuestigemus, eandemque peni-
tius perscrutemur, cui uel opinioni sit assentiendum,
quaenam uero sententia sit remouenda, abiicienda at-
que e Foro Medico prorsus eliminanda. Quamobrem
pace tantorum uirorum, mihi ab iisdem dissentire, et
meum quaecumque iudicium, quid scilicet de abortus
concitatione, prout fas et res, exigit, sentiam, propo-
nere licet. Nec enim statim et in continenti, ea
omnia, quae sese obtentu probabilitatis cuiusdam in-
finuant, sunt arripienda, et pro ueris uenditanda, hac
enim

enim ratione et misere falleremur, aliosque inuicem turpiter falleremus, sed omnia prius ad amussim ueritatis sunt ponderanda, quam eadem pro ueris et in aprico positis habeamus, in eorundemque amplexum ruamus. Quoties enim cunque in Foro Medico uersamur, atque circa res arduas, difficiles, intricatas, cognitum tamen perutiles, occupamur, et de quibus in utramque partem disputari posse uidetur, cauto admodum opus est, ne ad id, quod promiscue dicitur, sed quod in specie dici debeat, ipsa ratione sic urgente, attendamus, nullo uel personarum respectu habito, uel specie probabilitatis admissa, quae quidem primo intuitu mirifice sese commendant atque ablandiuntur, uerum numneres, prout in uulgus uenditur, sese ita habeat nec ne, circumspicte et prouide indagemus. Licet uero non dissimulauerim, perdifficile esse, candidae et sine tergiversatione aperire, ut res extra omnem dubitationis aleam in propatulo existat, unde quid de iudicii in arte medica difficultate sapienter admodum pronuntiauit HIPPOCRATES *I. A. I.* id quoque in eius parte forensi ualet, siquidem illud, ubi tot similia et dissimilia dignoscenda sunt, perfacile fallitur; at tamen res plane insuperabilis esse non iudicatur, quandoquidem nihil tam alte natura constituit, quo non uirtus et diligens rerum scrutinium possit eniti.

XIII.

Ad hoc igitur recte ferendum requiruntur exacta corporis humani eiusdemque status naturalis et praeternaturalis, signorum, remediorum, morborum ac

symptomatum cognitio, non solum physica, sed etiam moralis, experientia, conscientia et prudentia. Meum hic non est, de usu eorundem in sententia dicenda, prolixius differere, quandoquidem luce meridiana clarius constat, quod nescius, imperitus, partium studiosus et fatuus, ut de aliis, ita etiam de Medico-forensibus recte iudicare nequeat. Accedo potius ad propositum, quando in praematura foetus emissionem Medici respondere tenentur: *Num huic uel illi assumo sit adscribenda?* Prius autem quam ad hanc quaestionem respondeam, paulo generaliore praemittere placet: *Num scilicet Abortus per medicamenta infallibiliter prouocari possit?*

XIV.

Cum uero in re ardua, ubi non de corio bouino, sed de uita humana luditur, quia friuoli concitatores summo supplicio afficiuntur, sane ea proferenda sint, quae ueritati maxime consentanea, atque rationi, imprimis uero experientiae conformia, non possum quin ad eam quaestionem *negatiue* respondeam. Nam primo in tota materie medica nullum mihi assignabis medicamentum, de quo dici posset, quod semper, certe, infallibiliter ac sine exceptione, abortum prouocet. menses cientia et fortiter euacuantia non sunt, decantata Sabina, quam infame specificum putant, infirma est, Borrax, Myrrhae, Succinum etc. cum omnibus suis praeparatis tanta potentia non gaudent, nec quaeuis alia, uti id mox demonstrabimus, demonstratum-
que

que ex parte legimus. apud D. ALBRECHTI a)
D. LEDELIVM b) aliosque c).

XV.

Sanae quoque rationi contrarium esset, affirmare
medicamenta emmenagoga uel draistica foetum pecu-
liari modo in utero enecare posse; nam quid hic inde
apud quosdam auctores hac de re legitur, nuda, imo
uana, perluasio est. Agunt, ut dictum est, modo, ex
illis tamen, potentissimis quamuis operationibus, non
sequitur, quod foetum infallibiliter pellant, abortum-
que inducant, multo minus ut peculiariter enecent.
Hoc uenenorum proprium est, non emmenagogorum
uel drastrictorum. Venena autem foetui et matri simul
exitio esse, ex eorum operandi modo constare poterit.
Sic necis artifices arte sua periisse, infra testabitur expe-
rientia. Notum quoque de saepius dictis menstrua
prouocantibus, illa non semper ciere in iis ubi tamen
cienda sunt, nisi corpore prius rite praeparato. De-
dit B. LVDOVICI extractum et oleum sabinae ad gutt.
X. in mensium obstructione, sed raro cum effectu, uti
W E-

a) A.N.C.D. II. A. 8. Obs. 163. p. 384.

b) Ibid. D. II. A. 3. Obs. III. p. 212. seqq.

c) Conf. Exc. HOFEMANNI. Med. Conf. P. V. ubi in Caf. VI. in
suspicione tentatae prouocationis Abortus ita respondet F. M. H.
Und melden demnach, daß zuörderst bey Erörterung der vor-
gelegten Frage überhaupt zu wissen sey: Daß es wie der ge-
meine Wahn ist an und vor sich selbst in der Natur keine
dergleichen Mittel gebe, die da schlechter Dings, iederzeit und
bey allen Personen die Leibes-Frucht ganz gewiß abtrei-
ben vermögend sind.

WEDELIVS habet *Diff. de Sabina*. Id quod ideo annotandum, quia procul dubio in corpore praeparato factum est, dicta pro potentissimis habentur, & sanguis menstruus citra ingrauidationem facilius alioquin mouetur. In statu enim hoc morbofo ipsa natura potentius agens, totum negotium interdum absoluit, ita ut medicamentis non semper opus sit. Vbi tamen languidius operatur, consequenter Medici indiget, qui eam adiuuet, medicamentis solis uix ac ne uix quidem adscriberem. Idem de horum effectu in foetu mortuo eiiciendo ualet, ut pote ubi natura hoc pondere se liberare gestit. uid. B. WED. l. c.

XVI.

Non absconditum est istud satis tritum: *Medicus naturae minister*, aut si mauis *Consiliarius* atque *Adiutor*. Hinc *Illustris Dn. de BERGER* quam elegantissime: *Naturam*, inquit, *sine Medici officio, Medicum uero nunquam sine naturae ope proficere posse.* a) Quid itaque in statu contrario, ingrauidationis scilicet, Medicus poterit efficere, ubi natura eam ob causam retinet sanguinem, ut foetui prospiciat nutriendo, nonne uana erit eius opera? Obiicias, *Medicum tamen naturae humanae uim inferre posse, sinistro auxilio.* Fateor uerum esse, sed qualis exitus sperandus? Nonne quoque sinister, imo funestus, cum natura neutiquam uelit *pell*i, sed potius *duci*. Ergo nimium pellens non solum foetui, uerum etiam matri simul, perniciosa erit medicina. Hoc confirmat

a) *Diff. de Medico Naturae Adiutore.*

firmat B. BOHNIVS l. c. *In specie uero, inquit, sine gestationis uitae discrimine uix propinantur ac hauriuntur pocula abortiua.* Addit paulo post rationem, cur feminae abortum concitatum passae pereant, ob suppressa scilicet ut plurimum lochia, quae natura, modo per euacuationes praecedaneas, modo per partum praeternaturalem debilitata, rite propellere nequeat.

XVII.

Constat abortum fortuitum periculosum esse, imo longe periculosiorem partu foetus perfecti; unde non inepte cum fructibus immaturis comparatur, utpote quorum auulsio fere semper cum rami laesione coniuncta est. Hinc etiam interrogatae propterea mulierculae, respondent: facilius esse decies parere, quam semel abortire a). Pati namque coguntur maximos grauisimosque in tali praematura exclusione dolores, ob uinculorum ruptionem, auulsionem, uasorum apertionem aliaque id genus, exinde non raro uteri haemorrhagia, febris, syncope, conuulsio, cetera b). Haec omnia in concitato, pro expellentium ui, certiora, lethifera.

XVIII.

Denique experientia testatur, quod enumerata haec tenus quam rarissime effectum desideratum praesentent, toto licet die a nefandis hominibus adhibeantur, ex quo

a) Vid. HOEFFERUS, l. c. SEBIZIUS Exercit. Med. p. 514.
MICH. Prax. Clin. g. p. 273.

b) M. B. VAL. Nou. Med. Leg. Cas. 14.

quo praegnantium in retinendo & conseruando foetu robur elucescit singulare a). WEDELIVS l. c. ait: *Vitii uero communissimum hoc sit assertum, loquitur de Sabinae foetum pellendi uirtute, et spes meretricum infamium in eo fundetur, plurima tamen prostant exempla, earum quae sine ullo effectu integras quasi mensuras decocti biberunt.* Et paulo post: *Egregie, inquit, ROLFINCIVS Ord. et method. comm. l. 9. S. 6. c. 1. p. 829. inde scribit: Infame ατόμιον habetur. Notum tamen est, decoctum, oleum, balneum iurato usurpata, nullam foetui inulisse noxam.* De Sabinae innoxio usu in grauida meretrice uid. quoque LVD. CRON, b) item elegans responsum apud ZITTMANNVM, c) ubi ad quaestionem: *Num usus sabinae abortum procuret? negatiue respondetur.* Sic D. SOMMER, d) et ex eo saepius citatus ALBRECHTI, l. c. refert, grauidam quandam per uiginti dies integros, prima semper luce centum gutt. olei iuniperi, ad menses prouocandos usurpasse, postea tamen filiam sanam consueto tempore peperisse. Ita quoque: *An Decoctum croci haccarumque iuniperi abortum prouocet? negatiue respondetur apud VALENT. e).* De Borracis uano usu *Excellentissimus atque Experientissimus Dn. PRAESES, ut in tota arte praeclarus, sic in annotandis notatu dignis minime suspectus, haud uulgare ha-*

-
- a) LEDELIUS l. c. *De natura sui conseruatrice in impraegn.* SOMMERUS, l. c. *De robore praegnantium, ubi elegans Scholion hac de re adiectum est.*
 b) *Cand. Chirurgiae p. 130.*
 c) *Med. For. Cent. VI. Cas. 43.*
 d) *l. c. Obseru. 106.*
 e) *CORP. JURIS M. L. Nouell. p. 104.*

habet exemplum. Factum enim est, ut, cum aliquando de Borrace dicere occasio postulauerit, quoque de eius ui, partum accelerandi, uerba faceret, id quod quidam sibi tanquam peculiare quid annotauit, et grauidae cuidam Borracem usque ad ζj propinauit, sed uano et irrito nisu, ut ipsemet postea est confessus.

XIX.

De aliis uariisque adhibitis in saepius citata ALBRECHTI Obseruatione, ex Zacuto relatum legimus, quod mala quaedam mulier iuuenis, biliosa et gracilis foetum 7. mensium in utero gesserit, ob metum absentis mariti autem abortum procurare apud animum constituerit, quapropter plurima auxilia parauerit, purgantia ualida assumerit, fortissima unguenta utero applicauerit, pessaria apposuerit, uiolenta et alia foetum enecantia per os deuorauerit etc. Sed in cassum, siquidem nono mense geminos non solum, uerum etiam obesos et ouantes in lucem ediderit, quod sane stupendum. Similis fere historia ex FÜRTEMBACHIO, Physico Leutkirchensi refertur a D. PETRO ROMMELIO. a) Alia et plura hic afferre instituti ratio non permittit. uid. itaque de purgantium uano successu in grauidis, in specie ALBRECHTI *l. c.* SOMMERVS *l. c. obs. 103.* LEDELIVS eodem loco.

D 2

XX.

a) A. N. C. D. II. A. 8. *Obs. 183.* Conf. quoque CRON. *l. c.* qui hac de re non iniucunde scripsit, abortusque concitantia & purgantia aliaque foetum non eiecisse multis *obs.* probat, It. D. JUNGK. *Prax. Med.*

XX.

Quodsi uero haec dicta pellant, semper cum uitae matris periculo hoc fieri supra dixi, quapropter pauca tantum exempla adducere non absolum erit. Annotauit nempe HIPPOCRATES a) iam suo tempore, feminam XX. ann. poculum abortiuum hautisse, hanc uero, die quarto post, conuulsionibus correptam obiisse. Notum praeterea, quod Flavius Domitianus, XII. Rom. Caesar, cum Titi Caesaris, Fratris sui filiam impraegnasset, eique persuasisset, ut foetum immature excuteret, matrem quoque ipsam interemerit. b) Nec OVIDIUS destituitur obseruationibus, siquidem ille l. c. ita canit:

*Dicite, quis Tereus, quis uos irritet Iason
Figere sollicita corpora uestra manu?
Hoc neque in Armeniis tigres fecere latebris:
Perdere nec foetus ausa leaena suos.
At tenerae faciunt, sed non impune, puellae.
Saepe suos utero quae necat, ipsa perit.
Ipsa perit, ferturque toro resoluta capillos:
Et clamant, Merito, qui modo cumque uident.*

De Venenorum operatione res extra omne dubium posita est. Exempla itaque qui desiderat, adeat CRON. l. c.

XXI.

a) L. 5. t. 22. & 7. t. 27. De Morb. Epid.

b) Ex HOFFERRO. l. c. Conf. VAL. l. c. ff. P. 1. Caf. 11. p. 56. ubi ex sinistro auxilio pseudo - uirginem abortiisse quidem, post aliquot dies uero etiam obiisse, legimus.

XXI.

Dicas, abortum tamen ex adhibitis medicamentis, salua superstitaeque matre, aliquando subsecutum esse. Concedo. In iis enim dispositio adfuit ad abortum, quae pro suo gradu et sola deprehenditur sufficiens. Talis namque dispositio necessario adesse debet, alioquin nulla ualet medicina: stimuli tantum loco esse poterit. Hinc *F. M. Hal.* apud Hoffm. l. c. *Sondern daß solches nicht eher angehe als nur in den Fall/ wenn eine gewisse Dispositio zu dem Abortu und praematura expulsiōe foetus entweder in utero selbst/ oder auch sonst bey der schwangern Frau vorhanden ist/ die alsdenn gar leicht durch x.* Cui responsum ex ZITMANNO supra allatum conforme, i. u. *Allein es lehret die Erfahrung insgemein/ daß fast niemahl/ ob es (Sabina scil.) schon zu solchen gottlosen Gebrauch angewendet worden/ von solchen alleine dergleichen Abtreibung erfolgt sey/ es wäre denn bey einem Subiecto dispositio ad abortum vorhanden gewesen/ et sub finem; Singsegen wo dispositio ad abortum, tunc facillime in actum deduci poterit uis medicamenti.* Placet etiam SCHELLHAMMERI sententiam addere. a) *Si quid hic uideo, inquit, in acutis non ui morbi, multo minus ui medicamenti cuiusdam drallici abortiunt mulieres, sed fracto naturae robore, et quod illata ui omnes corporis partes ac uiscera fibris suis laxantur, ipse etiam embryo debilitatur, ut susinere se non possit, sed concidat languens, et in utero collabatur: indicio est quod detumescit uenter, si grandior sit, et ad inferiora totus prolabitur, quod etiam instante partu legitimo coningit.* Tum uero

D 3

etiam

a) In Scholio ad Albrechtii Obs. l. c.

etiam placentam umbilicalem abrumpit, unde erumpens sanguis magis laxum orificium internum reddit, sicque tandem ille elabitur. Haec uera causa est, cur abortus ab his non accidat, quoties in robustum corpus incidunt: idemque sentiendum de Visione. Si itaque, ubi nulla dispositio est, abortus sequitur, iniuriis externis aliisque adscribendus erit, quorum mulier forsan non amplius recordatur, uel recordari non cupit.

XXII.

Abunde nunc constat, ratione, experientia, auctoritate, fundata, illustrata ac comprobata responsio ad quaestionem posteriorem, e qua prudens Medicus in foro ad priorem facile respondere poterit. Nec enim speciei, uel huic aut illi medicamento, separatim considerato, tribui posse, liquet, quod totum genus uix ac ne uix quidem, imo, quod addendum, nullo modo per se et suam naturam, efficere ualet. Si enim totum coniunctim sumtum, tantae uirtutis et ualoris non est, partem potioris et praestantioris, ratione sui, esse efficaciae, quis credat? Interim Ictorum arbitrio eorundemque legibus est relinquendum, quodnam, rebus sic stantibus et in pessum ruentibus, poenae et multae genus sit decernendum. Faceffere igitur iubemus ex dictis uulgi opinionem, in fumum abire atque exulat meretricum infamium spes et solatium, quod exinde uenari fatagunt, cadit denique, quod pace dixerim, Medicorum quorundam in pharmaca infultus, credulitas, praeiudicium.

XXIII.

XXIII.

Accingo me nunc ad ea, quae foetui e fonte diaeteticis inimica censentur. Fateor, memoratam abdominis fortiorem constrictionem eiusdemque concussionem, percussione et calcationem, itemque totius corporis inconuenientem et gesticulatorium motum ac proiectionem in terra etc. potentissima esse, simul tamen, quod scelestae notent uelim, periculosissima. Fieri namque non potest, quin mater uiolento prius modo laesa, uiolentaque postmodum foetus exclusione, uaria ratione debilitata, euidenti ac praesenti uitae discrimini exponatur. Huc pertinent quoque animi pathemata, earum inprimis, quae cum nimia animi perturbatione et consternatione confluantur. Leuior et tutior est imaginatio, sed rarissime tam efficax, ut abortum ad uotum conciliet. Nihilo tamen secius res non plane impossibilis est, quandoquidem notum, imaginationem uarios morbos producere posse; nec inaudita, cum FORT. FID. a) notabilem casum annotauerit, quem huc transcribere lubet. *Puellam, inquit, noui floreute aetate, quae cum de foetu ante tempus abiiciendo Medicum consuleret; hic, ut impium illius institutum falleret, pia simulatione promittit, se daturum quidem, quod suam expectationem abunde expleret; Verum antidotum ex iis miscuit, quae foetui robur ac firmitudinem adicerent: Puella tamen, dum illo hausto iam dum pariendi desiderio, uehementer incensa esset, ac certo sibi, quod falso promitte-*

a) *Rel. Med. L. 2. p. m. 216. Ex eo ALBRECHTII, c.*



mittebatur, euenurum sperans, tota in hanc curam incurrens, non multo post elapsum esse foetum sensit, ac abortiuit. Nam uehemens illa abortus concipiendi imago et medicamentum uicium et Medici operam elusit. Leuissima ut plurimum sunt ciborum ingurgitatio, atque inedia, siquidem, nisi alia concurrant, ex his abortum consecutum esse, non constat. Iuuenis illa mulier apud Zacutum l. c. exacta inedia corpus maceravit, sed frustra; sic potus generosus non omnibus noxius est, ita labores et motiones corporis leuiores, uti experientia quotidiana uidere, licet, praesertim si assuetudo accedat. De debiti coniugalis frequentiori et nimium repetito usu, multa memorantur, quae non omni ratione destituuntur, uerum, ut uerecundiae habeam respectum, et ne quis ex thesi, cetera infanti et innocenti, ansam occasionemque nanciscatur, ex pruritu iisdem abutendi, eadem, mihi alias dicenda, silentii peplo, inuoluam. Patet ex his fontis huius uis ac ualor, unde reliqua, si quaestio proponatur, facili negotio diiudicanda.

XXIV.

Accedo operationes chirurgicas, inter quas abortum mouentes primum locum teneat VSio. Non esse tamen censeo longe lateque de allegato Hippocr. Aphorismo dicere. Notum est quod eo tempore VSio largior et usque ad animi deliquium quandoque celebrata fuerit, quo forsitan factum, ut sanguinis missionem tantum uetuerint in grauidis, ne illis alimentum pro nutriendo foetui simul detraheretur. Nihilo fecius tamen 7. mense HIPPOCRATES L. de *Morb. M.* ad

ad poplitem uel malleolos aperiendam suadet uenam, ad partum facilitandum. Alii aliud tempus eligerunt, primum scilicet mensem et secundum, alii tertium et sic porro. Eleganter autem CELSVS Lib. 2. Cap. X. *Antiqui, inquit, primam ultimamque aetatem sustinere non posse hoc auxilii genus indicabant : persuaserantque sibi, mulierem gravidam, quae ita curata esset, abortum esse facturam. Postea uero usus ostendit, nihil ex his esse perpetuum, aliasque potius obseruationes adhibendas esse : ad quas dirigi curantis consilium debeat. Interest enim non quae aetas sit, neque quid intus in corpore geratur, sed quae uires sint, considerare.* Sic hodie cum modum in detrahendo seruemus, communiter medio gestationis uenam secare consuetudine receptum est, quamuis necessitas id non exigat. Si tamen e re esse arbitramur, nullam aetatis rationem habemus, sed uirium potius; Exinde fit, quocumque etiam tempore administretur, quo minus damnum experiamur.

XXV.

Nec uideo sufficientem rationem, cur abortum inducere debeat VSio. Nam hoc non satis est dicere: *ideo non conuenire primis mensibus, quoniam tenerima sint illo tempore foetus uincula, leuique quouis motu dirumpantur, item : non paucos spiritus in ipso opere dissolui, quorum defectu se habeat deterius infans, ut Mercatus fabulatur.* Neque ualet, si grandior sit, operationem hanc propterea reiicere, *quia alimen- tum foetui detrahatur.* Matrem prius interficies, quam foetum. Praeterea in aperto est, sanguinem in grauida-

E rum

rum corpore tractu temporis coaceruari, ita ut dispendium, praecipue in succo plenis et plethoricis, neque matri neque foetui damno sit, potius ad praecauendum abortum summe proficuum. Accedit, quod, docente Hoeffero, a) impuritates simul coaceruentur, siquidem foetus, puriori spirituosoque sanguine, ab arteriis proueniente, nutriatur, consequenter minus spirituosus et cacochymicus matri restet, id quod non absque prorsus ratione dictum esse arbitror. Ergo mediante VSione, femellae, non solum a plethora, sed etiam a cacochymia, quod maximum, liberentur. Quae de causa quoque Hoeffero plane diuinum audit remedium, ad quaecumque mala grauidas uexantia.

XXVI.

Denique experientia loquitur, VSionem ad foetum e medio amoliendum, parum habere uirium, quamuis uenarum delectus instituatur, eorum sectio multiplicetur, uel uno eodemque momento duae simul aperiantur. Nam uena saphaena, cuius sectionem prae aliis inter ecbolia iure numerandam esse, Medici plurimi sibi persuaferunt, rei gerendae non est. Cordatiores Practici, et omnes Chirurghi testes sint, quod plus una interdum uice Saphaena in praegnantibus, falso pro non menstruatibus habitis, secatur, sine foetus detrimento: imo non absurdum est, scienter saphaenam etiam in utero gerentibus aperire. a) Sic toto die a malitiosis haec reme-

a) l. c. Lib. 7. p. 392. & seqq.

a) Conf. HOIELSINI Diss. inaug. de VSionis in pede grauidarum usu tuto & salubri. Halae hab. 1724

remedium adhibetur, sed irrito atque inani successu. Celebrauit mulier ista iuuenis, cuius saepe mentionem inieci, apud Zacutum, Saphaenae incisionem decies et ter, uerum in cassum. Notatu dignae quoque sunt Observationes *Chirurgi Aulici* LVD. CRONII, l.c. saepius allati p. 129. de eadem uena, e quibus unicam adducere liceat, et quidem duplicatae VSionis: *Wurde ich im Sommer gegen Johannis in unserer Nachbarschaft / in eines vornehmen Mannes Haus / heimlich und meinem Herrn unbewust geruffen / allwo eine frembde Jungfer scil. innen war / der musste ich vier Wochen lang / alle Wochen ein auch wohl zweymahl / allezeit Nachmittage auf beyden Füßen die Rosen-Ader lassen / und kunte ich ihr fast niemahl gnug Blut abzapffen / ich wüßte aber nicht / worzu oder warum dieses geschah / dann ich sahe ihr gar keine Krankheit an. Endlich kam sie allda hinweg / da mir dann einsten die Magd / so mich sonst zu ihr geruffen / sagte / daß sie in ihrer neuen Herberge vor 8. Tagen mit einem frischen gesunden Söhnlein eingekommen.* De multiplicata VSione D. Statparr uan der Wiel mulieris cuiusdam mentionem facit, cui grauidae quadragesies ac nouies uena secta fuerit, sine foetus noxia. a) Sic quoque *Mauriceau* b) enarrat, quod Dominus *Iamet*, Collega suus Lutetiae Parisiorum, uxori ipsius praegnantis quadragesies et octies uenam aperuerit, quadragesies et quinquies scilicet in brachiis, bis in pedibus,

E 2

et

a) Obs. Cent. 1. Obs. 65. et ex eo *Albrechtii* l. c.

b) Lib. Von schwangern Weiber hülff. p. 103.

et semel sub lingua, saluo foetu. Idem c) perhibet, quod A. 1688. Parisiis, grauida, 18. Annorum, nonagesies VSionem passa, tamen foetum sanum et uegetum, iusta periodo, in lucem emiserit. Quid de scarificatione dicitur, prorsus nihil ualet, cum rationi et experientiae contrarium sit: idem obseruatur de hirudinum applicatione. Vid. *Zacutus*, l. c.

XXVII.

De chirurgica illa operatione, cuius supra uim exemplis demonstrari, hoc notandum, eandem, sine matris interitu uix possibilem esse, quia uteri orificium, durante ingrauidationis statu, tam constrictum est, ut concipi nequeat, quo pacto instrumentum illud penetrare possit dictum orificium, sine laesione, adeoque res in ancipiti uersatur. Si uellicatione tantum huius orificii hoc negotium absolui posse opinaris, me tibi quidem contradicentem ac repugnantem non habes, aut laesio iterum obstat, quo minus hoc ad nutum perfici possit, quoniam inflammatio in tam delicato, molli, et exquisitissimo sensu praedito uiscere eiusmodi offensionem statim excipit, quae postea pessima symptomata creat. Confirmat id quoque euentus, siquidem gallica ista mulier conuulsionibus miserime obiit; idem fere de memorata ancilla legimus, utpote quae post profusissimam haemorrhagiam cum febris sociatam, deliriis correpta, distentioneque neruosi generis agitata, uita tandem excessit, laborisque improbi poenas merito dedit.

XXVIII.

e) L. Obs. DCC. Cent. I. Obs. XX. ex illo *Cron.* l. c.

XXVIII.

Vifis hæcenus e chirurgia operationibus, constare poffe arbitror, nullam ex iis tam potentem ualentemque effe, ut foetum fine gestantis euidentiori periculo, absolute ex utero pellat atque enecet, uti id rationum ponderibus atque experientiae usu probaui, probatumque ulterius illustrare poffem, nifi instituti ratio esfet habenda. Concife quidem, fatis tamen et abunde liquet, omnia illa uulgo ad abortum concitandum facientia, spuria, dubia et sublestaæ fidei effe, neque tantam uim et efficaciam præstare, prout promiscue ab illis præstari debere, putantur. Certus sum, ut cum *B. WEDELIO*, loquar, magno ausu opus effe, si quis exturbare uelit foetum, et nisi adsit *dispositio*, laxitas uasorum et foetus ipsius debilitas, spe sua hac deiectas scelestas, quæquæ etiam parent auxilia. Vana itaque est persuasio et iudicii imbecillitatis indicium, medicamentis operationibusue chirurgicis infantibus, aut aliis, si hæc aliquando sequitur abortus, effectum statim adscribere, cum potius morbis uariisque matris uel foetus uitiiis, aut denique iniuriis externis tribuendus.

XXIX.

Restat, ut de absurdis uerba faciam, ubi aliorum plerumque auctoritatem multos fallere, indeque fieri, liquet, ut praeoccupatis imbuti opinionibus, multa in se falsa et absona, pro explorato ueris habeant uendentque. Sed quoniam mihi sententia et res, prout se

E 3

habeat



habeat, est edifferenda, hinc, me ut a nonnullis remoueam, non uitio uertatur, siquidem in foro medico, non auctoritate sola, sed ratione et experientia, pugnandum esse, censetur. Quis uero uel sanae mentis compos, sibi persuadeat, uel solum transgressum serpentis, nudumque illius aspectum, licet tetrum, tantum effectum praestare, ut inde foetus eiiciatur; uel quis fidem habeat opinioni in uulgu tritae, amygdalarum amararum esum, quas quotidie fere, procul omni detrimento, homines comedere obseruamus, tantam uim exerere, ut damnum inferant grauidis, quid? quod, quis credat, ipsos lapides, grauidae alligatos, cum tanta potenti efficacia in corpus eiusdem agere, ut uel nuda alligatione, abortum accelerent; quis denique Nuci uomicae, uel Adhatodae adscribat, de quibus tamen haecenus nullum exemplum obseruare licuit. Nullam, prout ego quidem pro tenuitate uirium mearum assequi possum, uideo rationem eorum, quae pro fortissimis, abortum conciliandi mediis, quidam habeant, quam eam, nisi quis qualitatibus occultis, quas uero iam pridem e foro medico eliminatas scimus, adscribere malit. Rerum ignarus nimiumque credulus, eiusmodi quidem sibi persuaderi, facile patietur, qui uero rem paulo altius et profundius expendit, is plane aliter, quam uulgu hominum, rem disputabit, atque illa putatitia et iactata media in absurda, omnique solido fundamento destituta, desinere, iudicabit.

XXX.

Coronidis tandem loco de *Fascinazione* dicere mihi est animus, quam etiam ad foetum perdendum, multum

tum facere, quidam putant. Vnde, quando femella
 quaedam, altera uel tertia uice abortit, plebs statim
 parum considerate prorumpit: *Es ist ihr gethan.*
 Licet uero, non omnem promiscue fascinandi modum,
 cum quibusdam, reiecerim: ea tamen, quae fascinatio-
 nem, cuius in antecedentibus mentionem inieci, attingunt,
 ualde sunt superstitiosa et fabulis fere anilibus
 repleta, quae si diligentius perpendantur, uel saltem
 sub incudem sanae rationis distaminis reuocentur,
 facile apparebit, eadem plerumque ferme omnia
 credulitati nimiae, maxime uetularum, originem
 debere, unde et in illam, quo cetera, classem, ablegandam
 esse, iudico. Nec enim decet hominem prudentem,
 quatenus coeco quodam assensu amplecti, alias
 enim illud fati tritum et peruulgatum obtineret: *Qui
 facile credit, facile decipitur.* Ego in mea hactenus pro-
 lata sententia persisto, et omnia, quae modocunque de
 hac fascinatione aliusue, sine fundamento, memoren-
 tur, ad commenta et fabulas esse reicienda
 uerius arbitror, quam opinor.

T A N T V M.

* * *

In Cathedra bene stas, ad doctas
namque cathedras
Sedisti auditor sedulus atque
sagax.

Hinc Hygiea TVVM decorat caput,
IPSE quod artes
Egregias calles illius atque
colis.

Gratulor inde TIBI, quos dignus
fumis honores
Et, precor, hi secum commoda
multa uehant.

*Ita Nobilissimo atque Praeclarissimo DN. CANDIDATO
de summis in Medicina Honoribus ex animo
gratulatur*

PRAESES.



ULB Halle

3

004 057 635




1018

f

Sb.





27.
DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICO-FORENSIS
DE

IVDICIO

19 17
1726 15
CIRCA
ABORTVM CONCITATVM
FERE

QVA
PRAE
D. MART. G.
LOESC

PHYS. PROF. PVBL. ORI
EIVSDEMQUE FACVLT. AS
DVC. SAXO-VINAR

PRO LIC

SVMOS HONORES ET
MORE MAIORVM RIT

PVBLICE DI
AVCT

M. CHRISTIAN. FR

STOLLBERGA

A. D. I. SEPTEMBR. A

IN AVDITOR

HORIS ANTE ET POST M

WITTENBERGAE LITERIS

